



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata
Heinrychi Bullingeri lib. IIII**

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Quis sit magistratus pius

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

L I B E R III.

mantes. SIMON. Qum impune sibi omnia
licere uidet tyrannus indies peior fit & insolentior.

IOIADA. Quidquid uideat, hoc sibi certo
persuadere debet, sibi si sceleratus esse pergit, certissi-
mum imminere exitium. Nemo unquam impune tulit,
si longanimitate dei sit abusus. SIMON. Cur
ergo in superioribus dixisti, eos Iudeæ Gauloniti simi-
les esse, non Christianos, qui magistratui non obediunt?

IOIADA. Quod nemo piorum magistratui re-
pugnat. Nam quum apostoli monent ut magistratibus
ethnicis pareamus, quis non uidet Christiano homine
indignum esse, ut Christiano magistratui sese immori-
gerum præbeat? SIMON. Recte illa diceren-
tur, si magistratum haberemus Christianum. IO=

IADA. Magistratum Christianum uoco eum, qui
in Iesum Christum baptisatus est, qui in Christum cre-
dit, hunc confitetur, euangelium eius audit, quod &
apud suos prædicari permittit, nec persequitur, scele-
ribus et iniustitiæ (quantum fieri potest) obstat, malos
qui publice offendunt, punit, et omnem curam hic in-
tendit, ut gloria dei crescat, pie, honeste, & tranquil-
le in republica uiuatur. Nec desunt tales in magistratu-
hodie, gratiæ deo, quod uobis nemo persuadere po-
test. Vos enim Christianum neminem censem, qui uo-
bis non adhæret, qui doctrinam uestram non recipit,
qui aqua à uobis accepta non abluitur, utcunq; hæc
uestra

uestra moribus Christianis, et legibus publicis repugnant. Nec dici potest quam amara quamque uenenata in magistratum hic euomatis. SIMON. Mihi ista nunquam placuerunt. IOIADA. At fiunt ab ipsis. Grauia quædam ex Psalmis et prophetis decerpunt, quæ meditata in magistratum iaciunt, idque amarissime. Placent hæc immorigeris et inobedientibus magnopere, quum scriptura dicit (sic enim magistratus et iudices uocat) maledicere prohibeat. Graphice hos depingit sub nomine falsorum prophetarum Petrus in posteriori epistola cap. 2. Magistratus (inquietant) o ciues, Christianus non est, uerum uos obedi- te illi. Ipsi uero ne in minimo quidem obedire sustinet, iuramenta magistratibus praestita non seruant, et magistratus omnes abolere moluntur, ut liceat eis quod libet. Paulus dicit: Si non uis timere potestatem, fac quod iustum est: isti uero potestatem metuant (abolere enim conantur) malum ergo facere uolunt. Iude ergo Gaulonitis, et Sibæ filij Bochri socij sunt, quorum uberculum perduellio est, digna morte trucidatur. De Iuda Gaulonite uide Ioseph lib. antiquit. 18. cap. 1. Act. 5. Seditionem mouit in plebe, quam spe libertatis falsa se ducens, cum multis tandem perijt.

De Siba est 2. Regum 20. Filij Belial tales seditionis in scripturis appellantur. Quare si me audis Simon, falsa hac opinione relicta ueritati post hac adherebis,